

**Dissertatio Philosophica De Genuina Jvris Gentivm Vniversalis Notione : Qvam
Amplissimi Philosophorum Ordinis Consensu, In Alma Adademia Fridericiana
Bvezoviensi Pvblice Defendet : Ad Diem [] Ivlii A. O. R. MDCCLXIII.**

Bützow: Typis Johann. Gotth. Fritzi, [1763]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1843002485>

Druck Freier  Zugang



Samuel Simon Witte,
de genuina iuris gentium
universalis notione ...

1763.

Dm

006



1913:110

Cm

1006

1104
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
angeboten
GENUINA JURIS GENTIVM
VNIVERSALIS NOTIONE

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV,
IN ALMA ACADEMIA FRIDERICIANA
BVEZOVIANSI
PVBLICE DEFENDET,

PRAESES
SAMVEL SIMON WITTE

LL. AA. M. ET PHILOS. DOCT.

RESPONDENTE
FRIDERICO WILHELMO HARTWIG

BVETZOVIANSI LL. CVLT.

AD DIEM XXV^{to} IVLII A. O. R. MDCCCXIII.



BUEZOVIAE
TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

DISSEMINATIO PHILOSOPHICA

DE

GENUINA VERIS GENUINUM
UNIVERSALIS NOTIONE

BY

WILHELMI PHILOSOPHICVM ORDINIS
CONSILII

IN ALMA ACADEMIA FRIDERICIANA
BEROLINENSIS

PUBLICE DEFENDET

FRANCO

SAMUEL SIMON WITTE

LL. AA. M. ET PHILOS. DOCT.

RESPONDENTE

FRIDERICO WILHELMO HARTWIG


PHILOSOPHIC. LL. CANT.

AD DEMONSTRANDUM A. O. R. CL. SACERD. H. M.



BEROLINAE

Typis JOHANN. GOTTL. FRIEDR. BEREN. FRIDR. VALL.
ET ACADEM. TYPOG.



PRAEFATIO.



Quod Legibus Academicis, haud sine ratione sufficiente cautum, ut, illis, qui Scholam aliquam aperire, Scientiamque aliquam profiteri cuperent, specimen eius esset exhibendum publicum; illi praesenti Dissertatione satisfacere conor; qui per annum & quod excurrit, jure docendi, in ALMA HAC FRIDERICIANA fruor. Quare quum quaenam mihi esset eligenda materia, mecum evolverem: arrisit inter alia, integritati suae restituenda notio Juris Gentium Vniversalis, iam dudum disquisitioni a me destinata. Fusius statim de hac materia disputandi animus quidem erat, ita ut simul de variis Juris Gentium formis sive speciebus disquirem. Sed ingruentibus iamiam, de pace reduce sollemnibus, ac ut vel ego aliquid de meis illis adde-

adderem : hasce pagellas frene sacras facere volui. Quid enim quaeso, tempori huic magis convenire posset, ac ipsam scientiam, pace belloque praestabilem, quaque pax ipsa continetur illustrare? Nec defuerunt aliae scribendi rationes, quas hic exponere meum esse duco. Eo enim iam res abiit, ut toties nova excogitetur disciplinae alicuius notio, quoties illa iterum in compendium aliquod vel systema redigitur : qua sorte, nec scientia Juris Gentium Vniversalis fuit exempta, uti in ipsa tractatione videre licet. Quae quum ita sint, Doctores huius disciplinae, mox iusto angustiorem, mox laxiorem nimisque late patentem, aut falsam eius formarunt notionem. Priori ratione factum, ut scientiam hanc, cum aliis, ab illa re ipsa distinctis, permutaverint, vel non satis luculenter & male cohaerentem doctrinam hanc tradiderint; posteriori autem plane sine exciderint vero. His omnibus res nunc eo est adducta, ut scientia haec diu in squalore restiterit, atque postea etiam non adeo habuerit felices successus. Commotus his, periculum tantummodo facere volui in emendanda eius notione, quod, quantum successerit, aliorum placido relinquo iudicio; id satis habens aliquo modo monstrasse viam. Insti-



§. I.

Instituti ratio.



Quum jam in eo sim, ut juris gentium universalis genuinam notionem eruere mecum constituerim, a re nostra sane mihi non videtur alienum, prius ipsum ac aggrediar negotium, varias, quibus subjectus est hicce terminus, enucleare significationes. Terminus autem hic, quum porro vocabulo juris, ac gentis efficiatur, quod utrumque variis accipitur modis, ne ima summis misceamus, ordoque in tractando servetur, tam hujus, quam illius varias acceptiones exponam, quarum diversis ex combinationibus, juris gentium diversae sunt oriundae notiones. Quibus erutis, artis cogitandi principi-



cipiorum ope, genuina ac justa a falsis, ac minus rite formatis secernenda, facile erit ejus notio.

§. II.

Origo vocis, juris traditur.

Quaeritur igitur priori loco quid terminus *jus* sibi velit? Ita quidem, ut, quum origo vocis multum omnino ad ceteros cum illa conjunctos significatus cognoscendos faciat, qui plerumque fere omnes ab illa, uti communi fonte, deducuntur, in illam prius inquiratur. Jus igitur, originem dius si spectamus, ut graeca latinis jungamus, descendit a graeco verbo *δεον*, quod *εον* in us, & *δ* in *i* muttato, civitate latina donatum est. Simili modo alia graecorum verba in latinam linguam translata sunt. Sic enim v. gr. ex *πλεον* plus, a *διαβοληνης* Jabolenus, & ex *διακειω* jaceo, factum est. Graecis autem *δεον* illud vocatur, quod decet, convenit. Convenientiam igitur cum aliqua re, conformitatem, atque non-repugnantiam involvit. a) Patet inde, jus, originem ejus quod attinet, sumi adjective.

§. III.

Quid sit justum in genere inde ostenditur.

Conformitas semper, ubi assumitur, ibi aliquid, cui alterum accommodari & attemperari debet, praesup-

a) vid. *Darjes* Observat. J. N. & G. Vol. 1. Obs. 2.



supponit. Hoc nunc, ad quod aliquid regi, dirigi ac componi debet, Regulae nomine venit, cujus synonyma meta ac norma sunt: a) Inde nunc illud quod illae non repugnat, vel potius convenit *rectum, justum* audit. Hoc sensu fere idem est cum vero, perfecto, genuino ac legitimo, quod Germani, *richtig, rechtfertig, aufrichtig*: expriment: id quod variae loquendi formulae testantur. b)

§. IV.

- a) Hanc definitionem usui loquendi non esse disconvenientem, intellectu facile est, si ad naturam instrumenti, quod *regula* vocatur (*das Lineal, die Richtschnur*) animum attendere placuerit. Hoc enim est ita constitutum, ut puncti motus ita ad illud dirigatur, ut inde linea, omnium inter duo puncta brevissima oriatur, quae etiam idcirco vocatur *recta*. Eodem fere & haud dissimili plane modo, finis quem nobis consequendum proposuimus, regulam actionum nostrarum vocare consuevimus; quia vires pro conditione ejus debent dirigi ad accommodari. Vid. *Burlamaqui Elem. J. N. P. I. C. I. §. 2. & Essai sur l'histoire du droit naturel. Part. I. pag. 117.*
- b) Sic *justa* vocatur definitio quae regulis logicis convenienter formata; quo sensu eadem est, ac vera. Sic Germani nostri, objectum aliquod, *verum, das rechte, ächte, aufrichtig* vocant. e. g. metallum aliquod, *verum aurum* dicitur, quando id habet, quod per notionem auri requiritur, & tunc de illo praedicant: *Es sei rechtes Gold*. Dantur etiam phrasae in quibus loco *perfecti* adhibetur, in quibus omnibus *justum* dicitur, *cui nihil deest ad tuendum nomen*. Sic praerium *justum* (*eine vollkommene, vollständige Schlacht*) *amnis, acies, exercitus justus* vocatur; & quae reliqua.

§. IV.

Notio Legis in genere ac in specie moralis
exhibetur.

Ex his jam praestructis facili negotio illas *juris* significationes deducere possumus, quae scopo nostro sufficient. Ex ampliori enim, ipsius regulae, ejusque quod illi est accommodandum, determinatione, ceterae quae huc referendae erunt notiones sequentur. Sumamus prius, tunc regula, vel propositio quaedam est ac enunciatio; vel non, sive aliud aliquid, v. g. *Formulae artificum*, quae *Formen* germanice dicuntur. Verum enim vero, mittamus *ultimum*, uti a fine nostro alienum; tunc, si prius assumimus, quaeritur, quale illud, quod huic conformandum? Hoc nunc vel actio quaedam, sive operatio, vel materia aliqua, Gypsi verbi gratia, qualis in formulis, illis, quorum mentionem fecimus,prehenditur saepius. Sed iterum *ultimum* missum faciamus, tunc ex *priori* retento, notio *Legis in genere* a) promanet; qua *lex* nihil aliud est, nisi propositio, quae indicat, quomodo actio quaedam sit instituenda, dirigendaque. Actio haec vel moralis vel non-moralis esse potest. Si *prius*, *lex* dicitur *moralis* b) sive *in specie Lex*, & *secundum excellentium lex*

a) Vid. KOEHLER *Exercitat. J. N. & G. §. 344. & 45.* cui *lex in genere est propositio cui varia vel coëxistentia vel successiva accommodantur.*

b) Eodem fere modo, tantummodo superflua si ejiciuntur GROTIUS legem moralem definit. *J. B. & P. L. I. C. I. §. 9.* quo *eam regulam inquit esse actuum moralium, obligans ad id quod rectum.*

❁ ❁ ❁

9

vocatur, alterum vero si obtinet nomen generis ma-
net. a)

§. V.

Hinc Jus pro attributo actionis sumitur.

Hinc nunc actio legibus moralibus non repu-
gnans *Jus* dicta, sensu quidem, ut cum GROTIUS lo-
quar, magis *negante*, quam *ajente*. b) Ita quidem, ut,
quum *jus* hic sumatur pro *attributo actionis*; illa non
statim positive legibus conveniens sit, dummodo illis
non repugnet. Hoc respectu etiam, *fas*, vel *nefas* esse,
hoc vel illud agere dicitur.

§. VI.

Jus pro qualitate personae accipitur.

Actiones de quibus in praecedentibus sermonem
fecimus, ad suscipiendas, persona quaedam adesse de-
bet. Haec *facultate*, *actiones illas LL. non repugnantes*,
perpetrandi debet esse instructa, quae etiam nomine *ju-
ris* venit, quam Germani, *die Befugniß* nominant, ac
jus subjective tale vocatur. Qua ex ratione GROTIUS
illud *qualitatem moralem* describit, *personae competentem*

B

ad

- a) Hujus modi legis exempla sunt leges motus, corporum, Lex
imaginationis, sensationis &c. Cetera vide, *Element. J. N.*
J. J. BURLAMAQUI P. II. C. VIII.
- b) *J. B. & P. L. I. C. I. §. 3.* DARJES *Obs. J. N. & G. V. I. Obs. 2.*
PUFFENDORF *de Off. hom. & civ. L. I. C. II. §. 13.*



ad aliquid habendum vel agendum. a) Unde & stimuli naturales Jus naturae vocantur. Quo etiam sine dubio factum, ut Stoici, jus naturae esse, quod natura omnia animalia docet affirmarent; quae definitio etiam est Justiniani Imperatoris. b) Huc porro referendi sunt phrasae: Jus eripere, jus suum obtinere, prosequi, amittere.

§. VII.

Jus pro lege adhibetur.

Ipsa etiam *Lex*, per *metonymiam causae pro effectu*, saepe *jus* vocatur, quia lex illud est, quod actiones nostras recte dirigit, ac justas efficit (per §. IV. & V.) c) Multiplices hoc iterum locutiones non solum probant, sed etiam origo vocis, quam & alii veram assumunt, testatur, qua *jus* a *jubendo* descendere, idemque quod *jussum* significare volunt. d)

§. VIII.

Jus systematice sumitur.

Hinc nunc, impertito, iam singulis legibus nomine juris, unum illud, ex nexu plurium legum ortum,

a) *J. B. & P. L. I. C. I. §. 4.*

b) *pr. J. de J. N. G. & C.*

c) Vid. BURLAMAQUI *Elementa J. N. P. I. C. I. §. 2.* nec non *ESSAI sur l'histoire du droit naturel. Part. I. p. 117. seqq.*

d) VINNII *Commentar. ad Instit. L. I. Tit. I.*



tum, five systema certarum quarundam legum, *jus* & quidem *systematice* tale dictum. Simili igitur modo, quo ens cohaesione plurium entium constitutum, ens compositum nuncupatur, complexus legum civilium Romanarum, exempli causa, Jus Romanum salutatur. Quia nunc leges indicant, quod illis contrariatur, quodve illis non repugnat, illud autem injustum, hoc vero justum vocatur; patet hoc sensu *jus* nihil aliud esse, nisi *scientiam (objective sumtam) de iis quae obvia in relatione, justa, vel injusta, bona vel mala sunt.* Quae quum ita sint vera semper est CELSI JCTi definitio juris, qua *illam artem aequi, bonique esse* affirmat.

§. VIII.

Origo vocis gentis.

Supereffent adhuc aliae *juris* acceptiones, minime vero ad scopum nostrum facientes, illas non curamus, sed absolutis jam jam, atque explicatis variis, in quas vocabulum hocce discesserit, significationibus, videamus potius, varias, in quas vocabulum *gens* abiit locutiones, quo scopo nostro magis magisque accedamus. Ut simili, quo §. II. usi sumus, ordine progrediamur, vocis *gentis* origo, primum a nobis erit monstranda. Descendit igitur vocabulum hocce, a verbo illo obsoleto, *geno* pro *gigno*. a) Nihil aliud autem sibi vult, ac *pullities*, *genimen*, quod Germanis, sine
B 2 Brut,

a) Vid. J. A. ERNESTI *Clavis Ciceronian. Ind. Latin. Litt. G. Tit. geno. & gens.*



Brut, Zucht audit. a) Elucet hoc etiam ex synonymis. Inde & saepe pro *familia*, sensu strictissimo, adhibetur, quo complexum hominum a communi stipite proximo genus ducentium involvit; quae quidem gentis *grammatica* esset significatio. b)

§. X.

Genesis gentis significatu grammatico sumtae.

Omniū sine dubio societatum prima fuit illa, qua duae sese personae in scopum procreandae sobolis conjunxerunt. Vocatur haec *conubialis*. Ab hac nunc oriunda est illa, quae hoc loco familia, sensu arctissimo, vocatur, atque nexum liberorum cum parentibus involvit, quo posteriores ad illos educandos, priores vero ad hisce obtemperandum, patriam per potestatem, quae his in illos competit tenentur. Inde societas matrimonialis, quae est ob patriam potestatem conubialis continuata, ortum traxit. Vocatur Jctis familia haec, *jure communi talis*. Cui tandem ad melius, commodiusque finem consequendum societas fuit subordinata herilis; quo facto *domestica* evasit. Posterior

a) Promiscue enim saepe sumitur, cum *genere, natione*. *Natio* autem idem saepe est, quod nobis *Zucht*. Inde & *natio bona* significat *eine gute Viehzucht*. Venatorum etiam nostratum ore tritum illud est: *Ein Volk Zühner*, i. e. *pullities* perdicum.

b) Videat. ERNESTI, l. cit. *Tit. gens*.

rior haecce, nomen familiae, quasi a *famulando* videtur accepisse; cujus exemplum nobis in familia Abrahami, existat cujus in sacris litteris fit mentio. Hoc respectu illa Jurisperitis *familia jure proprio* audit.

§. XI.

Latior gentis significatus.

Sed magis usu receptum videtur, ut gens dicatur pro nexu ac complexu plurium familiarum, quae 1) vel uni generi determinato proximo, 2) vel re moto subsunt. Quo sensu, nationes familiae & stirpes sunt partes quae gentem constituunt. a) Hicce gentis significatus iterum vario modo restringitur, quibus mox stricte, mox strictius sumitur, uti in sequentibus videre licet.

§. XII.

Gens sensu stricto, ejusque genesis.

Ponamus priorem §. praeced. exhibitum casum, & inde gens significatu stricto erit concipienda. Patria

B 3

- a) *Cajus Suetonius Tranquillus* in *Nerone C.I.* „Ex gente „Domitia duae familiae claruerunt, *Calvinorum & Aeno-* „*barbarorum.* „ Legatur porro *TACITUS* de *Germania* ubi haec inveniuntur: „*Ceterum Germaniae vocabulum,* „*recens & nuper additum quoniam qui primum Rhe-* „*num transgressi, Gallos expulerint, ac nunc Tangri tunc* „*Germani vocati sunt. Ita nationis nomen non Gentis e-* „*valuisset paullum &c.* „ Sic etiam *Obotriti, Polabi, Ve-* „*rini nationes Venetae gentis dicuntur,*



tria enim cessante potestate nova per matrimonia, oriebantur novae familiae singulares, vinculo sanguinis, uti a communi stipite descendentes, inter se nexae invicem. Nexus inde oriundus a nobis gens latiori sensu §. praeced. dictus est. Naturale quum erat, quod qui loco aequae ac sanguine sibi proximi, eo facilius ac potius amore se prosequerentur invicem: eos etiam sibi mutuo auxilia tulisse, contra injurias, quibus repellendis vires singularium familiarum non sufficerent, defendisse, commodisque mutuis consuluisse, sumere possumus. Qua vero conditione, quoque pacto, utrum communi admissio imperio, quod vel in primogenito patrefamilias vel in pluribus simul resederit, an secus praecise; quum maxime arbitraria sint, ut determinarem, non tantum mihi sumo. Pactum enim de mutua promovenda salute ac securitate tuenda, nec minus imperium, quum iterum vel pactum supponat, quo sit concessum, vel factum, quo quis sibi illud vindicavit, ut utrumque hypotheticum mihi non esse praesumendum puto. Arridet mihi magis primis, uti suppositio postulat, temporibus, allatas ob rationes, igiturque commodi cujuslibet proprii causa, amicitia atque commercio fuisse junctas. A minus enim compositis, ut ad magis complexa, ordine progrediamur, primum, mihi tantummodo duas familias esse ponendas videtur. Quae quum ita sint: nulla occurrit mihi ratio, quae me ad commune aliquod imperium, aut pactum mutuuum assumendum, moveret. Familia enim, quum haec esset rerum facies, paucis quaelibet adhuc constabat membris, igitur-



turque a capite ejus ad finem destinatum poterat dirigi. Nulla igitur inde capi potest ratio. Porro eorum, quorum indigebant hoc tempore homines, non tantus erat numerus, ut una alterius ope non potuisset carere, ideoque pactum de mutuo praestando auxilio, promovendaque salute, non necessario erat ineundum. Etsi etiam quaedam fuissent subortae familiae; quod tamen salva nostra hypothese largiri volumus, a communi earum capite vel a cujuslibet familiaspatre, aut amice, aut vi potuissent componi. Ultimo respectu, quum in dubio viribus essent pares, ob metum inscuritatis, de mutua laesione avertenda non statim pactum erat figendum. Ita fit, ut possibilitas *gentis strictae sumtae, quae nexum familiarum plurium cohabitantium non in societate secum viventium; socialitatem dummodo ab hac velis distinguere, sit evicta.* a)

§. XIII.

Gens strictius sumta ejusque genesis.

Posterius §. X. positum si sumamus: tunc progressu temporis, familiae quum indies augerentur, ac

per

- a) Fieri equidem potest, ut quis contra hoc naturale, hypotheticum alicubi existens fuisse probaret: inde tamen non sequeretur nullas omnino dari, nec fuisse familias quae hoc genere vivendi inter se usae essent. Alias enim inducio completa esset formanda; id quod vires ejus longe superaret. Dari contra adhuc, *Arabes & Tartarorum* quidam *Tartariae independentis* tractus aliquos in habitantium testantur alios ut taceam. Cetera adeas BOEHMERI Introd. ad Jus publ. universale L. I. C. II. §. 5. & praefertim §. 7. ubi expresse sententiae nostrae adijcit calculum.



per matrimonia nova alia etiam ac plura reciperent membra, ex conjunctione familiae consanguineae cum affini, oriebatur *gens paullo strictiori sensu ita dicta*. a) Rebus enim sic constitutis, quum familiae magis, magisque crescerent; plures igitur ac antea conciliandi essent animi; hi quoque in malam partem degenerarent, fidesque humana magis fallax evaderet; minimum, quum plures aderant facilius hoc erat eventum: de communi salute atque securitate munienda confirmandaque erat cogitandum. Concipere igitur inde possumus societatem nexu plurium familiarum constitutam; ob communem salutem securitatemque promovendam, initam. Hanc, quo ab aliis societatibus distinguatur, ac ob similitudinem finis cum illo societatis civilis & politicae in specie, de qua mox infra, *societatem politicam in genere*, vocare nobis liceat. *Engentem significatu strictiori* acceptam! Usui loquendi nos non exinde adversari, vel ex eo patet, quod species hujus

- a) Idem fere TULLIUS sentire videtur *L. I. de officiis Cap. XVII.*: „Cum hoc sit natura omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Inde autem est principium urbis, & quasi seminarium reipublicae. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum una domu jam capi non possunt, in alias domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio & societas est origo rerumpublicarum. Videatur iterum BOEHMERUS l. cit. §. 7. seqq.

ius societatis, quae sunt anarchia & civitas hoc nomine indicantur, & alii bonae notae scriptores voce hac hoc modo usi sunt. a)

§. XIV.

Amplius de illa disquiritur.

Quae vero primis temporibus obtinuerit huius societatis forma, iterum recurrit quaestio? Sunt qui anarchiam, sunt qui civitatem assumunt. Sententiae eorum, prius qui statuunt; uti vero similibus, subscribendum mihi esse puto. Omnium enim voluntates in unius, vel aliquorum tantummodo esse collatas, philantropiae naturali, qua mortales; ut fert natura, omnia ad arbitrium suum revocandum; genioque suo ac proprio fruendum ducuntur, vel e diametro contrariari videtur, quod tamen necessarium fuisset civitatem si illico assumeremus. Vero semper propius, homines, si fieri potest, una creta dealbare duos parietes. Magis

C

- a) Ecquis esset qui Germanos nostros tempore JULII CAESARIS, TACITI, & *Gaerberinati* sub anarchia viventes, gentes fuisse renueret? Vid. MONTESQUIEU *Esprit des loix Tom. II. Ch. XXIX.* Civitatem autem nomine gentis venire, infra indicabimus. Hanc porro gentis notionem etiam apud alios reperiri exemplo Domini de VATTEL comprobo qui eam sic exhibet: „Nationen sind politische Körper, Gesellschaften von Menschen, die sich zusammen verbunden haben, ihre Wohlfahrt und ihren Nutzen mit vereinigten Kräften zu befördern.“ Vid. ejusd. *Völkerrecht I. Theil Vorbereit. S. 1.*

gis igitur veritati accedit, illam homines primis temporibus elegisse status conditionem, qua libertati suae infitoque stimulo ad independentiam, aequae ac securitati satisfacere possent. Quare, quum haec meo quidem iudicio sit anarchia, hanc si quid statuendum, primam societatis politicae fuisse formam, firmandum. Per anarchiam enim nihil aliud intelligo, nisi societatem, quam plures familiae ad commune bonum cum securitate promovendum, nullo admissio communi imperio, inierunt.

§. XV.

Significatus gentis strictissimus.

Venit iam gentis, omnium arctissima a nobis explicanda significatio. Hac gens nil aliud est, ac plurium hominum sui iuris coniunctio; cum communi admissio imperio, ad salutem felicitatemque communem securius promovendam, facta. Hoc sensu idem est, ac status, civitas. Sic civitas Brittanorum, Batavorum, dicitur, gens Britannica, Batava, & quae sint reliquae. a) Nescio equidem quo pacto evenerit, ut civitati in specie nomen gentis tributum sit; attamen opinor inde esse factum, quia anarchiae non tam frequentes usu veniunt, & inter nos plane cessarunt.


XVI.

a) Vid. inter alios J. J. BURLAMAQUI in *Element. J. N. P.* II. C. VI.

§. XVI.

Quaedam circa civitatum ortum monentur.

Multa sane eaque varia de civitatum ortu disputata sunt: a re tamen nostra mihi non videtur plane alienum, quaedam, eaque praecipua, ut de hac re, brevibus attingam philosophorum placita. Nam longius ut progrederer, totamque exponerem quaestionem, a proposito meo nimis abhorret. Ante omnia autem mihi monendum videtur, illos, qui in originem civitatum inquisiverunt, duplici via, a recta aberrasse. Primum enim, brevitati nimis studentes, ab una sola causa effectum huncce deducere conati sunt; quum tamen unius effectus plures possint esse causae. Hinc forte; quum unus error aliorum parens, alterum profluxit vitium, quod in explicanda civitatum genesi commiserunt scriptores. Causam enim proximam, non bene; uti par erat, a causa remota & magis accidentali distinguentes; dum forte in unam, vel alteram illarum inciderent: alteram semper, dictum ob brevitatis studium excluderunt. Quae quum ita sint; & ne nimis praeter necessitatem, orationem interrumpamus: quid in hac re sentiamus accipiatis. Homines adhuc in anarchia viventes, dum intelligerent, se non amplius hoc modo, varias ob rationes, finis eorum compotes fieri posse, aliud vivendi genus, vitaeque statum arripuerunt. Familiis enim, varias ad praestandas operas, mutuamque ad ferendum auxilium, fervorum multitudo erat alenda, quorum ad cultum victumque, facultates haud exiguae



requirebantur, quibus tamen omnes & singulae omni-
 no non erant instructae. Sed, misso etiam hoc, mi-
 nus aptum anarchia erat remedium quod vulnere ad-
 hibebant. Non enim adeo promte auxilium fereba-
 tur, uti necessitas urgens saepe exigebat; ita ut iniuria
 saepe iam iam erat illata, quum demum ad illam pro-
 pellendam declinandamque currerent; & quidem hoc,
 tam ob remota, quae habebant, domicilia, quam
 quod sua quemque detinebat utilitas. Sed quod adhuc
 gravitate sua omnia vincit argumentum in eo consistit,
 ut familiae, hac ratione conata, non solum non perficerent,
 sed potius contraria expectatis, experirentur.
 Nam quot capita, tot sensus; ita quidem, ut tum in
 deliberando, tum in exequendis negotiis, tot homi-
 num voluntates aegre atque difficulter essent concili-
 andae. Omnes imperare, pauci obedire cupiebant.
 Sic mentibus ac viribus distractis, quod eiusmodi re-
 bus accidit, prorsus nihil, vel si quid, perturbate &
 fatis male efficiebatur. Accedit capitum familiarum
 aemulatio. Alii enim aliis, qui ob res bene gestas
 laudibus erant ornati invidabant honores, atque quum
 se illis haud inferiores reputabant, aequae summis re-
 bus praeesse postulabant. Quibus rebus effectum est,
 ut vires & voluntates in unam personam vel physicam
 vel moralem conferrent, quo melius atque securius fe-
 licitati atque saluti studere possent. Non excludimus
 igitur alias quae forsitan occasionem praebuerunt, causas.
 Fieri potuit, ut quis stimulo ad gloriam atque cupidi-
 tate regnandi ductus, plures familias varias per artes
 & tandem vi subegerit; sicque earum voluntates in
 suam

suam contulerit; quod etiam per occupationem bellicam factum esse potest: id quod historia comprobat. Sed haec nimis a naturali recedentia, non magnopere curamus. Sufficit enim nobis, modo aliquo a vero non tantum abhorrente monstrasse a) genesin civitatum.

§. XVII.

Prior Iuris gentium conceptus late sumtus reiicitur.

Scopo nostro, quo propius accedamus varias tam iuris quam gentis significationes inter se componamus invicem, ut videamus, quaenam inde variae Iuris gentium emergant notiones. Sumamus igitur illum gentis conceptum, quem §. IX. & X. explicatum exhibent: tunc quum gens h.l. idem sit ac familia (§. IX.) ac ius modo *subiective* modo *systematice* sumatur, (per §. VI. & VIII.) priori si sumitur modo, ius gentium erit complexus iurium & obligationum quae in familia obtinent. Quare quum familia porro tam connubiali, quam paterna constituatur societate, complexus iurium connubialium & paternorum efficiet h.l. ius gentium. (per §. X.) Si vero ius posteriori ratione, igiturque *systematice* accipiatur, nihil aliud ius gentium erit, ac scientia de eo, quod in familia iustum, vel iniustum, quae idem ac prudentia oeconomica veterum. b)

C 3

Quuu

a) Cetera legatur Thor Strathen von Regierungsformen.

b) Videatur *synopsis disciplinae oeconomicae* Barth. KECKER-
MANNI Hanov. MDCXVI.



Quum vero ad utrumque exprimendum iam adfit terminus peculiaris, *ius* nempe *familiae*; magis cum usu loquendi consentiens, ab huius usu abstineamus, nisi illum violandi animus sit.

§. XVIII.

Varii inde in iure Romano, iuris gentium oriundi significatus.

His quidem modis si iure gentium uteremur, quanquam nimis ab usu loquendi recederemus, id quod satis elucet: liceat mihi nihilominus monstrare, quo factum, ut inde forte enata sit illa iuris gentium significatio, qua saepe apud bonae notae Latinos scriptores pro iure naturae sumitur. Hoc sensu CICE-RO a) illud accipit, cui & JUSTINIANUS Imperator assentiri videtur, ita fere, ut, quum gens h.l. idem sit cum familia, cuius synonymum genus (per §. IX.) ius gentium *omni generi humano commune* dicentes, per illud complexum iurium ac obligationum, quae totam familiam humanam, ideoque omnes homines in statu naturali 1) vel absoluto, 2) vel hypothetico eodem viventes respiciunt, significare voluerint. Quam ob rem quum hoc sit ius naturae, ratio de-

a) *Lib. III. de Off. C V.:* „Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis, nostras facultates, copias, opes augeamus, neque hoc solum natura id est iure gentium, sed & Legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublicae continentur, eodem modo constitutum est. cet.

denominationis in promptu est; quo sensu gens humana, illis *secundum excellentiam* gens dicta. Priori respectu vocabulum, ius gentium ICTis Romanis non tam frequens erat usu, sed saepius ius naturae vocabatur; quanquam & ab illis sic accipi in dubium vocari nequeat. a) Posteriori vero apud illos, magis usu probata est iuris gentium significatio, qua per illud ius naturale hypotheticum intelligunt, quod omnes homines, in eodem statu hypothetico viventes, obligat. b) His tamen non nego, illos etiam ius gentium iuri naturali contra distinguere; quo sensu illis idem ac ius gentium consuetudinarium. c)

§. XVIII.

- a) §. 1. I. de I. N. G. & C. „Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur: vocaturque ius gentium, quasi quo jure omnes homines utuntur; & §. 2.: „Ius autem gentium omni humano generi commune est.“
- b) §. 2. I. eod.: „Nam usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanae jura sibi quaedam constituerunt. Bella enim orta sunt & captivitates sequutae, & servitutes, quae sunt naturali juri contrariae. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascuntur. Vid. von Vattel's Völkerverrecht, Vorrede. BURLAMAQUI *Elementa J. N. P. II. C. VI. §. 9.* NOODT in *Commentar. ad Digest. L. I. T. I.* atque PUFFENDORFFII *Jus nat. & gent. L. H. C. III. §. 23.*
- c) Vid. HARPRECHT in *Comment. ad §. 1. 2. Instit. de I. N. G. & C. n. 1. 2.* atque Henr. VOCKESTAERT in *disputatione de acquisitionibus, quae vulgo dicuntur juris gentium. Lugduni Batavorum 1750. habita.*



§. XVIII.

Diversi tamen a quodam Grotii & Wolfii conceptu.

Hoc vero a iure gentium, quo illud idem est, ac ius naturale absolutum, vel hypotheticum, plane differt, ius illud gentium, quod HUGO van GROOT & L. B. de WOLF, ex civitate maxima, in quam omnes omnino gentes ac civitates, rationibus satis infirmis nixi, consensisse, sumunt, derivare conantur. WOLFIUS enim ipse illud opponit iuri gentium *absoluto* & *neccessario*, quod ex iure naturae ad gentes applicato eius sententia oritur, & cuius valorem solo ex gentium consensu praesumpto deducit; a) quod & GROTIUS affirmat. b) Quae quum ita sint, ius gentium hoc modo acceptum, *speciem* quandam iuris gentium *in genere* constituit. Hac igitur ex ratione, quum ad scopum nostrum minime faciat, alii meditationi manet. Sufficiat pro tempore, eorum meminisse, qui rationibus satis firmis; me quidem iudice, illorum sententias refutarunt. c)

§. XX.

Posterior iuris gentium conceptus laxius formatus, refutatur.

Videamus iam, quaenam inde, si gens *sensu stricto*, cum iure pro diversis eius significationibus compon-

a) *Proleg. ad Jus gent. §. 4--20.*

b) *Proleg. ad J. B. & P. §. 17.*

c) Vid. von Vattels *Völkerverrecht*, Vorrede. ac ESSAI sur *l'histoire du droit naturel* P. II. p. 91. seqq.

ponatur, propullulent notiones. Hoc sensu, quum gens complexum plurium familiarum involvat; (per §. XII.) nullo habito respectu, utrum in scopum communis salutis ac securitatis promovendae, sint consociatae, an secus: ultimo respectu, quo familiae nullo fere in nexu sunt, & quaelibet ut res suas separatim habens spectari debet, nullum inde aliud ius gentium oriundum est; si illas ad se invicem referamus, ac quod idem cum iure naturae hypothetico, quod in statu non sociali obtinet; si vero in se considerantur, atque illud quod §. XVII. exposuimus. Quam ob rem, quum ultimum, iuris gentium nomen non mereatur; (per §. cit.) prius quidem, si ad usum loquendi ICtorum Romanorum respicimus, illo (§. XVIII.) indicatum fuerit; illo autem hodie apud I. N. & G. doctores huius respectu non amplius vigente, etiam eo merito censetur indignum.

§. XXI.

Gentem strictius sumtam independentem esse demonstratur.

Ita fit, ut nobis unica adhuc pateat via, qua adhuc varias iuris gentium notiones consequi liceat. Restat enim, illa eaque paullo strictior magisque scientiis usitata gentis significatio, qua nexum plurium familiarum, studio securitatis ac felicitatis communis conglutinatarum denotat, quam societatem politicam *in genere* vocavimus. (§. XIII.) Res quum ita se habeant,

D

fo-



societas haecce, vel cum communi admissio imperio, vel sine illo est talis. Sit posterius, intellectu facile est, illam esse independentem ab aliis, notionem eius dum tantummodo supponimus, in oratione philosophica. Priori casu, eadem sub conditione, vel in subordinatione ad aliud imperium, vel non sit: tunc iterum prius si sumimus, in relatione ad illud imperium & cum illo simul sumtum, in relatione ad alias iterum independentia gaudet, nisi progressum in infinitum assumere placet: si vero alterum esse faciamus, idem per se satis clarum perspicuumque esse videtur. Per gentem igitur h.l. nihil aliud intelligimus, nisi societatem politicam independentem *in genere*.

§. XXII.

Conceptus iuris gentium strictus traditur.

Hinc nobis maxima datur facultas, varias iuris gentium notiones eruendi. Ius enim in relatione ad gentem, tunc, vel *subiective*, vel *systematice* sumitur, atque gens vel in relatione ad alias, vel in se consideratur. Sit ultimum; tunc ius gentium *subiective* sumtum complexus est iurium ac obligationum, quae in societate politica independente in genere locum habent. (§. VI. & praec.) Quam ob rem, quum haec societas, commune imperium vel admiserit, vel non; sed tantum modo pacto de mutua promovenda salute, ac securitate possit esse constituta; & priori casu civitatem, posteriori vero anarchiam efficiat: ius gentium
sub-

subiective sumtum h. l. mox complexum iurium ac obligationum, quae in civitate, mox illorum, quae in anarchia habentur, involvit. Sin vero gens *in se* spectetur, atque ius *systematice* accipiatur; quum hoc nihil aliud sit hoc respectu nisi scientia de eo, quod obvia in relatione iustum, vel iniustum: (per §. VIII.) ius gentium inde formatum, scientia erit de iis, quae in societate politica *in genere* independente iusta vel iniusta sint. Atque haec quidem scientia principia generaliora contineret, quibus ea, quae tam in civitate, quam in anarchia iusta, possent superstrui; si illa separatim pertractaretur, & postea per differentiam cuiuslibet specificam magis determinaretur. Verum enim vero, quum huc usque, quantum ad notitiam meam pervenerit, tale opus nullus aggressus sit, illud missum faciamus. Porro quum gens hoc modo (§. praec.) accepta, anarchiam aequae ac civitatem sub se contineat, scientiam unam componere possumus, quae id quod in anarchia & alteram, quae id, quod in civitate iustum determinat. Posteriores plures ius gentium vocant, a) quo respectu idem est ac ius publicum universale, (*allgemeines Staatsrecht*) ac *stricte*

D 2

ita

- a) Inter alios hic nobis praecipue allegandus est L. B. de WOLF in *Iure gentium methodo scientifica conscripto C. I. de officiis gentium erga se*. Referendus hic etiam effect von Vattel im *Völkerverrecht*, cuius primus tomus nihil praeter illud ius publicum universale comprehendit, nisi ipse concederet merito illud a iure gentium esse distinguendum, *l. c.* §. 3.



ita vocatur, quod immerito ita salutari in sequentibus commatibus demonstraturi sumus.

§. XXIII.

Conceptus iuris gentium arctior explicatur.

Fac iam gentem in relatione ad alias sumi, ac ius *subiective* accipi, tunc ius gentium complexus est iurium ac obligationum, quae in relatione unius societatis politicae *in genere* ab altera independente ad alteram valent (per §. VI. & XXI.) Si vero ius *systematice* sumitur: tunc ius gentium erit scientia, de eo, quod obvia in relatione societatis politicae, ab altera independentis, ad alteram, eadem ratione, se ad priorem habentis iustum vel iniustum, sive quod idem, scientia de iis, quae in relatione unius gentis ab altera independentis ad alteram iuris sunt (per §. VIII. & XXI). Haec nunc scientia, tam ea, quae uni civitati in alteram quam quae anarchiae, in anarchiam licent, nec minus quid civitati in anarchiam, & vice versa iure competat, *generaliter* determinari debet; quia gens ita accepta utramque sub se comprehendit. (§. XXI.)

§. XXIV.

Conceptus iuris gentium arctissimus, minus genuinus declaratur.

Hisce rebus efficitur, ut ius gentium latius pateat, ac si, uti plerumque mos est, per scientiam de eo,

eo, quod inter civitates a se invicem independentes iustum, iniustumve est, describitur. Sed haec significatio, omnium fere quae est strictissima, me quidem iudice nimis arctis limitibus inclusa, ideoque ut minus genuina, curataque reiicienda. Nam anarchia, quum re ipsa differat a civitate (§. XIII. XIV. & XV.) parem independentiam involvat (§. XXI.), qui character, uti paullo infra (§. XX.) demonstraturi sumus, proprie fundamentum iuris gentium in genere constituit; ideoque ubi eadem ratio, idem sequi debeat: arctam hanc si assumeremus notionem, sine ratione, in formanda iuris gentium notione generaliori, speciem pro genere arriperemus. Accedit, quod tali ratione constitutum ius gentium fini suo minus esset adaptatum; ideoque satis imperfectum. Scientia enim iuris gentium quum maxime eum in finem componatur, quo controversiae inter gentes ortae, inde diiudicari possint: lites inter duas vel plures anarchias, aequae ac inter civitates, ac anarchias intercedentes, omnes inde terminari non possent. Dubito enim an inde principia suppeditari possint, quorum ope dissidia, circa foedera, satisfactionem & damni reparationem praestandam, verbi gratia, possint rite componi. Alio enim sane modo, mihi videtur, foedus quod inter civitates pangitur, ac illud, quod inter anarchias, vel cum illis initur, validum reddi; uti alia ratione damni reparatio a civitate praestanda, postulandaque, ac in anarchia pro varia nempe pacti conditione, quo se ad mutuum securitatis ac salutis studium, iunxerunt, ob-



strinxeruntque esse videtur. Deinde hinc sequeretur, quod non introducta forma civili, nullum exstiterit ius gentium, ita fere, ut, quum non entis nulla sint praedicata, Romanis, exempli causa, Germanos sub anarchia viventes; uti supra dictum, vexantibus, nullum fuisset ergo hos observandum ius gentium; id quod horribile dictu. Plures adhuc nostris diebus dari gentes incultas, quarum societates, magis anarchiae, ut civili formae accedunt, negare, perquam vero esset dissimile. Igiturne iure gentium tam arcte accepto, illo excluderentur? Quid, si nos iterum eximerent illo, quae inde miseries hominum? Non ne eadem libertate, a nulla alia gente dependentes fruuntur? Parum abest, quin crederem, notione iuris gentium non tam restricta, magis aequitati forsan fuisse consultum in occupandis earum regionibus; nedum in subigendis illarum quibusdam.

§. XXV.

Strictus iuris gentium conceptus damnatur.

Ius gentium porro, si eodem, quo §. XXIII. illud exhibet, accipitur modo, idem est ac ius publicum universale; ideoque improprie sic dictum. Quum enim ius gentium priori ratione sumtum verum habendum, (per §. XXIII. & XXIV.) & iam termini adsint, quibus hoc ab illo distinguamus (§. XXIII. in fine) ad aequivocationes vitandas, termino hoc, huius

ius respectu abstineamus. Porro si verum esset ius gentium, ope eius, quid inter gentes, iustum, iniustumve sit deberet posse determinari; id, quod, communi omnium consensu, scopus eius involvit, hoc tamen non ita esse, vel sequenti modo constabit. Si ex eo, quod in civitate in genere, *in se* considerata iustum est, non licet determinari, quod idem sit, inter gentes, & civitates in relatione ad se invicem spectatas; ac ius gentium hoc modo acceptum, nihil amplius, ac prius involvit: dictum requisitum in illud minime convenit. Atqui verum est prius. Quicquid enim primo, *per se* non involvit contradictionem, in relatione ad alterum repugnantiam efficere potest. Secundo, ius gentium, uti hic sumitur, nihil aliud inferre, probat §. XXII. Consequens ergo, verum etiam esse debet, nempe ope eiusmodi iuris gentium, quid inter gentes & civitates iustum, quidve iniustum, non posse determinari. Deinde fac, ius gentium idem esse cum iure civili universali: quia quicquid valet de genere, idem etiam de specie, ius civile Romanum, inde sequeretur, esse ius gentium; quod tamen usui loquendi Ictorum Romanorum directe adversatur. a) Quibus ita constitutis, non sine ratione
mi-

a) §. 1. *Inst. de I. N. G. & C.* „Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium civitatis est: vocaturque ius civile, quasi ius proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utantur. Et populus itaque



mihi videor, illos arguere violati sine necessitate usus loquendi, qui ius gentium hunc in modum pertractarunt, inter quos, L. B. de WOLF a) & Dom. de VATTEL b) praecipue sunt referendi. Iuris gentium forsân hac ex ratione anceps evasit significatus, quod mox *distributive*; quo facto inde significatio, haec minus genuina profluxit, mox vero, magis *collective* sumtus sit, hicce terminus; qua ratione, plures gentes simul esse considerandas, atque ad se invicem referendas, innuit; unde ius gentium *proprie & strictius* sumtum, enatum.

§. XXVI.

Conceptum iuris gentium arctiorem, genuinum esse evincitur.

Cum iam satis, uti opinor, demonstratum, ceteros, praeter illum §. XXIII. expositum conceptum iuris gentium, quo illud scientia est, de eo, quod inter societates politicas *in genere* sic dictas, a se invicem independentes iustum vel iniustum; quem verum esse

*„Romanus partim suo proprio, partim communi omnium
„hominum iure utitur: §. 2. Sed ius quidem civile, in
„una qua qui civitate appellatur, veluti Atheniensium &c.*

a) *In iure gentium methodo scientifica conscripto. C. I.*

b) *Im Völkerrecht I. Buch.*

esse ius gentium §. praecedens demonstrat; esse minus genuinos: (per §§. XVII, XX, XXII, & XXV.) illum genuinum, ac iustum esse itidem erit evictum.

§. XXVII.

Notio iuris gentium universalis inde eruitur.

Quae quum ita sint, doctrina haec ex relatione gentis ad gentem principia iusti, ac iniusti deducit (per §. XV.). Quam ob rem quum hic nil nisi notionem huius relationis supponere liceat, quia philosophicam, quae fit ex notionibus, tantummodo polliciti sumus orationem; ac per notionem relationis gentis ad gentem, nihil nisi independentia ponatur: haec iuris gentium philosophici, sive universalis fons erit. Hoc igitur erit scientia, quae in ea, quae per notionem gentium a se invicem independentium, iusta vel iniusta inter illos sint, inquirat. a) Quum porro quaelibet gens ideoque quaelibet civitas vel anarchia, ut unica persona moralis (per §. XIV. & XVI.) spectari debet, b) quae quia independens, nullius imperio subiecta (§. XXI.): status gentium, quum igitur, nec

E fo-

a) Vid. DARJES *Instit. iurisprud. univers.* §§. 948. 949.

b) Vid. de WOLF *Ius gent. Proleg.* §. 2. nec non von Vattel's *Völkerverrecht* Vorber. §. 2. atque BURLAMAQUI *Element.* I. N. P. II. C. VI. §. 4.



socialis, nec civilis, erit naturalis. Deinde status naturalis quum, sit status libertatis, ac aequalitatis, status gentium qua talium erit eiusdem conditionis, atque huius disciplinae fundamentum. His, rationibus quibus §. XXV. illum iuris gentium conceptum, quo idem, ac ius publicum universale, minus genuinum declaravimus, nova additur, quae simul contra HEINECCIUM valet, qui ius gentium, ius sociale ad gentes adplicatum esse vult. a)

§. XXVIII.

Quod, ius esse perfectum demonstratur.

Gentes igitur qua tales in statu aequalitatis vivunt. Hic ex aequalitate iurium metitur, atque ad $\tau\omicron$ suum cuiuslibet gentis qua talis pertinet, quia iura ad $\tau\omicron$ nostrum pertinent. Gens una ergo, quae alteram in usu atque possessione eius turbat, b) alteram laedit. (per notion. laesion.) Quum nunc ius gentium proprie sic dictum atque universale, ex illa aequalitate, deduci debeat (§. XXVII.) ius gentium hoc modo acceptum sine laesione alterius violari nequit. Quicquid est tale ius, illud & ius perfectum. Ius gentium ergo,

a) *Element. I. N. & G. L. I. §. 22.*

b) Vid. DARJES *Instit. Iurispr. universf. §. 278. & 325.*

ergo, ita constitutum cogens esse atque perfectum affirmandum est. Cum *Viro* igitur *Illustri* DARJESIO a) distinctionem iuris gentium in cogens atque humanum esse nullam, non sine ratione sumo; quam exinde non negem, genti in gentem esse officia humanitatis observanda. Sed quia ex specifica illa gentis ad gentem relatione §. XXVII. indicata, non fluunt; ideoque vero iuris gentium destituuntur fundamento, & potius gentium, qua hominum notiones, pro illo agnoscunt, ad ius gentium pertinere nequeunt. Quia enim aequalia habent iura, non sequitur, alteram alteri ad perfectiones quantum fieri possit, promovendas esse obligatam, ideoque etiam ad officia humanitatis erga illam adimplenda teneri. Quia autem porro gentes hominum naturam non exuunt, eadem officia quae inde proveniunt, illis semper manebunt praestanda sibi invicem. Ita factum, ut illi qui in iure gentium, officia earum humanitatis exposuerunt, illa ex dicto iamiam fonte deduxerint, uti nuper, laudatus de VATTEL & alii. b)

E 2

§. XXVIII.

a) *Inst. Iurispr. univ. Praecog. §. 44. Schol.*

b) *Völkerverrecht I. Theil Vorrede §. 9--13. Nec non J. J. BURLAMAQUI Elementa I. N. P. II. C. VI. §. 6. & 7.*

§. XXVIII.

Ius gentium universale, iuris naturae caput esse ostenditur.

Ius gentium universale, quum iuris naturalis *systematice* summi sit caput; id quod sequenti ratione evinco: quaestio merito ponitur, utrum cum hoc plane idem, an potius re ipsa ab eo differat? Ius naturae dicta ratione acceptum, scientia habetur quae in genere rerum ex notionibus ea infert, ac colligit, quae obvia in relatione iusta, vel iniusta. Quaelibet igitur scientia, quae determinatae rei ex notione ea colligit, pars eius iure, meritoque reputatur. Ius naturae enim *systematice* sumtum, quum per obiectum circa quod versatur, modumque illud cognoscendi, fiat talis scientia, quae est: patet, quia eadem ponitur cognoscendi via, sed pars tantummodo eius obiecti sumitur, circa quod totum versatur, consequentiam hanc esse legitimam. Atqui ius gentium universale, per antea dicta (§. XXVII.) est talis scientia, quae ex gentis, ad gentem relationis in specie notione, ea quae inter illas iuris sunt, colligit. Ergo & alterum in illud convenire, & cadere debet, illud nempe iuris naturalis *systematice* talis caput esse.

§. XXX.

§. XXX.

Ius gentium universale ipsis regulis a iure naturae systematice sumto differt.

Ad quaestionem propositam excutiendam iam iam nos accingamus; ad quam, mihi ita respondendum esse; sequentibus rationibus adductus puto, ut ius gentium, a iure naturae re ipsa differre, affirmem. Ex praecedenti iam patet §pho, eandem inter illa intercedere, differentiam, quae est partis a toto, liceat tamen amplius, huic distinctioni affundere lumen. Notiones rerum in genere, & notio relationis hominis ad hominem iuri naturae principia iusti ac iniusti porrigunt; notio vero gentis, & relationis eius ad aliam in specie, origo iuris gentium universalis est. Quare, quum a genere ad speciem determinate non valeat consequentia: (per principia Artis cogitandi) etiam a iure naturae in genere, & iis quae per illud iusta vel iniusta, ad ea quae in specie inter gentes iuris, non datur consequentia legitima. Per differentiam igitur gentis ad gentem relationis specificam, qua a relatione hominis ad hominem distat, quaedam determinari debent, quae nudam principiorum iuris naturae accommodationem non permittunt, sed illa pro conditione eorum necessario immutant; ita quidem uti, quando principia generaliora, ad casus obvias adplicantur speciales, per ea quae in quocunque ca-

su singulari, diversa deprehenduntur, ea inde valde specialiora efficiuntur, ac pro natura cuiuslibet obiecti mutationem subeunt. Contraria ratione sin ageremus, idem esset, ac si, principia Monadologiae, nullo obiecti Psychologiae habito respectu, in illa adhiberemus; quod quidem quam maxime a sana ratione esset alienum.

§. XXXI.

Obiectio tollitur.

At dixerit quispiam, nos aliud, ac §. XXVII. positum fundamentum iuris gentium universalis assumere, affirmantes, per naturam gentium, principia iuris naturae, in iure gentium universali, modificari. Ne quid contra nos sentire videamur ipsi, nostrarum sane erit partium ostendere, nos omnino huius vitii non esse reos. Animus enim si ad ea §. citat. dicta reflectatur, facile intelliget, nihil amplius ibi asseri, ac gentes qua tales ad se invicem esse referendas, atque hac ex illarum relationis notione, principia, quibus ius gentium universale conficitur, esse deducenda. Fac igitur, gentes qua tales ad se invicem esse referendas: tunc, uti illarum fert natura ac notio, atque cum illis, quae inde necessario determinantur, fieri debet. Sicuti enim incomparandis duabus, vel pluribus rebus, essentia illarum, & quae inde fluunt sup-
po-

ponuntur, atque ex convenientia cum illis, relationis earum possibilitas meretur: sic etiam, gentes quando ad se referuntur invicem, natura earum, atque ideo ea quae secum infert, praesumuntur; quo relationis, inter illas ponendae possibilitas atque natura inde pos- sit determinari, quae §. XXVII. iuris gentium univer- salis fons dicta. Ita fit, ut notiones quidem gentium principia huius disciplinae sint remota, unde princi- pium eius proximum; quod uti §. XXVII. evictum, relationis gentis ad gentem, natura est, profluit. At- quum, quando de disciplinae alicuius fundamento quaeritur, non de principio remoto, sed proximo mo- veatur quaestio: eodem modo ea, quae §. XXVII. de principio iuris gentium disputata sunt, intelligenda es- se, sequitur. Nonne enim, si ad quaestionem, quod- nam Monadologiae esset fundamentum; notionem en- tis in genere illud esse, respondissem, & ita princi- pium eius remotum nominassem, contraria expecta- tis respondisse omnibus viderer? His nunc efficitur, ut argumentum in contrarium adductum corruat. Patet porro, inde, qua ratione ius publicum universa- le, iuri gentium subsidio venire possit; videre enim inde licet, quae relationes, & qui nexus inter gentes, dari possint, qui vero naturae illarum adversentur, & quae sint eiusdem generis alia.

§. XXXII.

§. XXXII.

Sententiae aliorum de hac re exponuntur.

Longius abirem sane, si huius disciplinae fata enarrare vellem, initiaque eius, ac incrementa longe leteque exponerem. Paucis tantummodo Doctorum I.N. & G. de huius ab illo differentia, varias sententias tradere volo. Tota fere errarunt via qui in pertractanda hacce disciplina, HOBBIUM habuerunt duccem, PUFFENDORFIUS a) ac BURLAMAQUI; b) qui per ius gentium intelligit ius naturae nude ad populos adplicatum. c) Primus fere, qui doctrinam hancce intergritati suae reddere susceperit, fuit BUDGEUS, qui explicatis iuris naturae praeceptis, ad commodationem eorum ad gentes, usum que inter illas, pro natura illarum, docuit. d) Idem fere statuit acutissimus BARBEYRAC, e) qui sententiae nostrae §. XXVIII. expositae, magis adhuc accedit; id quod etiam I.H. BOEHMER fecit, dum ius gentium quidem non

a) In *Iure N. & G. L. II. C. III. §. 23.*

b) *Elem. I.N. P. II. C. VI. §. 5.* Ita enim ille: „Itaque naturale ius & gentium, ius revera sunt unum & idem, nec aliter inter se differunt, quam exteriori nuncupatione.

c) *de Cive C. XIV. §. 4.*: Rursus *Lex naturalis*, inquit, *dividi potest in naturalem hominum, & naturalem civitatum, quae vulgo ius gentium vocatur. Praecepta utriusque eadem sunt &c.*

d) *Elem. phil. pract.*

e) *In notis ad Grotium de I.B. & P. L. I. C. I. §. 14.*

non plane ac penitus distinctum iure naturae ac novum ius, sed speciem eius esse voluit. a) Postea L. B. de WOLF ius gentium methodo scientifica conscripsit, qui, quanquam differentiam iuris gentium a iure naturae satis perspexerit, b) conceptum tamen iuris gentium strictum, quem §. XXV. damnavimus, a genuino, §. XXVI. & seqq. exposito, non bene distinguens principia iuris publici universalis cum illis qui verum ius gentium efficiunt commiscuit; uti iam §. XXV. monuimus. c) Sequutus est illum, saepe laudatus de VATTEL, qui quanquam aequae ac ille ius gentium a iure naturali re ipsa differre contendat, d) multaque etiam ad ius publicum universale pertinentia in hanc contulerit disciplinam: e) ob finem tamen quem sibi consequendum proposuerat, omnino est excusandus. Conscripsit enim librum suum praecipue hunc in finem, ut illi, quibus non tantum est otii, atque tanta animi contentio, ut longam veritatum seriem possint simul perspicere, quibus tamen haec scientia maxime necessaria, inde possent cognoscere ea, quae inter gentes sint iuris. f) His commotus, prin-

F

ci-

- a) In *Introd. in ius public. univers. Pars Gen. C. II. §. 5.*
- b) In *Prolegom. ad Ius Gent.*
- c) *Praecipue L. II. Iur. Gent.*
- d) *Völkerverrecht, Vorrede.*
- e) *Völkerverrecht, erst. Theil I, B.*
- f) *l. cit. Vorrede.*



cipia iuris naturae & publici universalis, quae ad illustrandam scientiam iuris gentium aliquid facere possunt, brevibus exposuit. Referendus hic etiam est *Vir Illustris* DARJESIUS, qui non in idem incurrens vitium, ius gentium a iure naturali ipsis regulis differre, contra Heineccium, argumentis fatis luculentis demonstravit. a)

§. XXXIII.

Conclusio.

Multa fortassis superessent dicenda, nisi partim ob temporis breve spatium, partim ne scientiam, cuius notionem tantummodo tradendi mihi animus est, delinearem ipsam, operi finem ad imponendum cogerer. Accipiat haec mea qualiacunque conata, eoque, L.B. animo aequo, donec alio tempore ea perficere potero. Vergant interea haec, qualia qualia sint, in gloriam summi numinis hominumque salutem.

a) *Instit. iurispr. univers. P. Spec. Sect. VIII. & Observ. I. N. & G. Vol. II. Obs. 6.*


T A N T U M.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, AC DOCTISSIMO
FRIDERICO WILHELMO HARTWIG
S. D. P.
P R A E S E S.

Non possum non, quin TIBI pro benevolentia, qua spartam defendentis in TE suscipere voluisti, publicas persolverem gratias, mihi que exinde gratularer. Talem enim TE semper praebuisti, ut rectam vivendi rationem omnes admirarentur, excellentes ingenii dotes cognoscerent. Disciplinae quidem legali addictus, philosophiae studia non despexisti, sed potius omni mentis contentione in illa incubuisti. Sic aeternis naturae legibus cognitis, sacra Themidis templa adiisti; bene intelligens, ius civile quanquam non per omnia iuri naturae serviat, ab illo tamen non penitus recedere; sed potius illo uti basi immobili, atque inconcusso fundamento niti, sustinerique. In meritiissimas laudes TVAS, hic excurrere possem, nisi vererer, ne modestiae TVAE nimis essem molestus. Quam ob rem, quoniam mihi nullum de hac re relictum est scribendi argumentum: pergas quo incepisti stadium absolvere cursu. Sis patriae ornamentum, Familia
liae

liae splendidissimae decus, ac PARENTIS in deliciis optumi, ut aetas EIVS ingravescens in amore atque adolescentia conquiescat TVA. In hanc sententiam scriberem plura, nisi TE, TVA sponte satis esse incitatum considerem: & hoc quicquid attigi, non feci inflammandi TVI causa, sed testificandi amoris mei. Illud profecto cognosces, mihi TE neque cariorem, neque iucundiozem esse quenquam. Vale, mihiq; favere perge. Dabam Buezovii die 20 Iulii clō lō cc LXIII.



A. Bode
Buchbindereif
Schwerin i. M.




Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1843002485/phys_0047

DFG





the scale towards document



neamus. Porro si verum esset ius
s, quid inter gentes, iustum, iniu-
posse determinari; id, quod, com-
sensu, scopus eius involvit, hoc ta-
vel sequenti modo constabit. Si ex
tate in genere, *in se* considerata iu-
t determinari, quod idem fit, inter
es in relatione ad se invicem specta-
um hoc modo acceptum, nihil am-
volvit: dictum requisitum in illud

Atqui verum est prius. Quicquid
se non involvit contradictionem, in-
rum repugnantiam efficere potest.
um, uti hic sumitur, nihil aliud in-
XXII. Consequens ergo, verum
nempe ope eiusmodi iuris gentium,
& civitates iustum, quidve iniu-
eterminari. Deinde fac, ius gen-
n iure civili universali: quia quic-
re, idem etiam de specie, ius civile
equeretur, esse ius gentium; quod
li ICtorum Romanorum directe ad-
ous ita constitutis, non sine ratione
mi-

J. G. & C. „Nam quod quisque popu-
constituit, id ipsius proprium civitatis est:
civile, quasi ius proprium ipsius civitatis.
rivalis ratio inter omnes constituit, id apud
te custoditur, vocaturque ius gentium,
omnes gentes utantur. Et populus itaque